



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 106. Alius libellus Gubernatrici a Protestantibus porrectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

campo Lario, prope Antverpnam ad Borgerhutum Germanico, & Gallico idiomate habitæ sunt conciones, unde tumultum veritus Antverpiensis Senatus ad Parmensem scribit, ac eam etiam ad motus sedandos, ut ipsamet in urbem venire velit, hortatur. Hæc cum super ea re tempus ad deliberandum poposceret, interea edictum admodum severum promulgari iussit in illos omnes, qui ejusmodi conventicula haberent. Ast hac agendi ratione nonnisi hæreticorum insolentia augebatur,

§. CVI.

Alius libellus Gubernatrici a Protestantibus porrectus.

Protestantium ultra quinque millia crescente cum numero audacia, Senatui libellum porrigunt die tertia Julii, quo multis rationibus nituntur probare, quod conciones, quæ antea in occulto habebantur, nunc ob auditorum numerum palam haberi deberent, ac proinde motus, & confusionis vitandæ causa locum sibi in urbe assignari peterent: porro quod id Magistratus concedere posset, adducta privilegiorum auctoritate confirmabant, ac insuper exemplis demonstrare nitebantur, quod duæ Religiones citra periculum admitti valeant: ve-

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

Thu. E.
Strad. l.c.

Sæcul. XVI
A.C. 1566.

rum Senatus hunc libellum protinus ad
Gubernatricem mittit, eamque, ut ad
urbem venire, in eaque commorari di-
gnetur, iterum rogat: quod tamen illa
nisi introducto secum militari præsidio,
a quo Antverpiani abhorrebant, facere
recusavit, nec etiam ad urbem venit,
sed unice Megam Comitem eo ablega-
vit, qui exploraret, an ad sedandos
hosce tumultus in civium fidelitate, at-
que auxilio spes collocari posset: At-
tamen quamprimum rumor de Comi-
tis adventu increbuerat, mox recruduit
feditio, hæreticis passim spargentibus,
quod Arembergius Comes cum mille
ducentis peditum signis brevi insecutu-
rus esset, ac demum Gubernatrix urbem
copioso milite munitam ingressa ibidem
Inquisitionem sit invectione, arcemque
constructura.

§. CVII.

Oranii adventus Antverpiam.

Cum ergo hi sermones semper magis,
magisque invalescerent, Mega Comes
revocabatur, subrogato Principe Oranio,
feu Arausionensi, cujus adventum popu-
lus summis votis exoptabat. Huic Brede-
rodus mille passibus extra urbem obviam
ibat comitantibus eum omnibus incolis,
a quibus Princeps cum tanto applausu,
tamque festivis lætitiæ signis excipieba-
tur, ut populum cohibere teneretur, & in-
fanis